

*breg et Lopacza*, cum aliis item tribus Portubus Buccari, Buccaricza et Portoree, nec non Sex Castellatus Dominij Buccarensis, et Dominium ita dictum Coloniale, Dominia ad haec Brod et Grobnik Battyana, uti et Dominium montanum Chabar Camerale, juxta haec porro Partes etiam, quae modo trans-Collapianae audiunt, utpote Bona Dominii Szeverin, cum Dominiis Boszilyevo, Ozaill, Ribnik, Berlog et Novigrad, ac demum ipsa etiam Civitas Carlostadiensis, velut per Statum Militarem Statui Provinciali praeallegato modo resignanda, ac in Liberam et Regiam Civitatem evehenda; prouti etiam, quod rementionatas Partes Transcollapianas concerneret, ad harum pro Comitatu Szeverinensi receptionem perinde Gubernator noster Fluminensis, qua ejusdem Comitatus Supremus Comes, et ad actam quoque hunc Commissarius noster Regius, ac ad earum Resignationem Comitatus Zagrabiensis Benignis nostris ordinibus inviati instructique sunt, ea quidem ratione, ut Partes hae inde a 1-ma Novembris anni labentis Quottam Contributionalem jam ad Cassam Comitatus Szeverinensis dependere debeant.

Atque in his ipsis Fideles Regnorum istorum Status et Ordines et rationem Benignae nostrae Resolutionis satis intelligent, et Peculiarem nostram Maternam Solitudinem pro incremento Boni publici defixam, distinctum Regium nostrum favorem grati agnoscent. Cum autem ad effectum Benigni hujus propositi illud necesse esse suapte intelligatur, ut praementionata accurata Conscription et justa aestimatio quorumvis Districtuum et Corporum in- et excorporandorum ratione atque modalitate in praemissis declarata suscipiatur, atque ideo Benigne nobis visum fuerit, pro executione propositi hujus, fine nempe praedesignatae in- et excorporationis, atque Scopu instituendarum Conscriptionum et aestimationum a parte respectivarum Jurisdictionum Commissarios, tum juxta immediate praemissa, cum vero omni, quo meliore facilitandae manipulationis ratione instructos, et quidem ex parte Politico-Camerale Gubernatorem Fluminensem Josephum Mailáth, huicque adjunctum ex parte Politica Nicolaum Skerlecz, Consilii nostri Regii Croatici Consiliarium, ex parte vero Militari et quidem Generalatus Carlostadiensis Generalem a Posee, Generalatus autem Banalis ibidem Constitutum Brigaderium Generalem exmittere, fideles adeo Regnorum istorum Status et Ordines, fine quo effectuantis Benignis his intentionibus nostris pariter per Deputatos suos intervenire, eosdemque cum Commissariis nostris cooperaturos designare et exmittere valeant, in unum congregandos, una Clementer jubere.

Eapropter quemadmodum pro eo, ac in his explicita Benigna mens atque resolutio nostra Regia nonnisi circa optatum boni publici vehiculum et quaesitam diu pro utili et Commodo Regnicolarum accessionem versatur, ipsos proinde Regnorum istorum Status et Ordines voti Compotes reddit, nullae dubitamus, quin firma Spe tenemur, fore, ut lidem Status et Ordines in summa animorum gratitudine suscipiant agnoscantque Regiae nostrae atque maternae Benignitatis documentum isthoc, ita una ne quid favorabilis hujus Benignae Resolutionis nostrae effectum morari possit, signanter ne Exmissi Commissarii Regii expectare debeant, fidelibus Regnorum istorum Statibus et Ordinibus Benignam mentem et voluntatem nostram Regiam in eo pariter Clementer intimandam injungendamque duximus, ut duos omnino Deputatos suos ad executivam omnis istius Benigne suscepti in- et excorporationis Propositi operationem, ac proinde qui scopum hunc praeparare debet, Conscriptionum, ac aestimationum laborem, pro Terminis per Commissarios nostros Regios tempestive indicando, ac in iis, quae